nes: Gerhardus Disput. Isag. 22. cap. 9. opinionem numerus non est. Optandum tamen fuisset, ut propitius fatum hunc in diem nobis servasset & plures Samuelē Bochartum; nulli enim dubitamus, quin hujus & indefessa industria & eruditio non vulgaris præstitisset, quod promisit ipse *in præfat. ad suum Phaleg*, sive *Geographiam sacram*. Ne tamen idem nobis contingat, quod erudito Bocharto, qui ipsa novitate displicebat amicis, cum hi decessorum sententiis hærerent mordicus: nec præter necessitatem hic novi erimus, nec illorum vestigia, qui pecudum ritu sequuntur, pergentes non qua eundum est, sed qua itur, legemus; sed illius itamus autoritate qui & fallere & falli nescit.

§ VI.

Ita verò ille Genes. cap. 2. vers. 8. *Et plantavit Deus hortum in Eden ab oriente & posuit ibi hominem quem formavit:* sed Ebræa forsan sunt ἐμφαλικώτερα : ויטע יהוה אלהים גן־בערן מקדם
וישם שם את־האדם אשר יצר׃

De quibus Fl. Josephus lib. 1. c 4. ita: Φυσὶν δὲ (subaudi Μωυσῆς) τὸν θεὸν καὶ παραδείσου πρὸς τὴν ἀνατολὴν καταφυτεῦσαι παντοίῳ τεθηλότι φυτῷ. Et post pauca: Εἰς τοῦτον δὲ τὸν κῆπον εἰσαγαγὼν τότε Ἀδαμον καὶ τὴν γυναῖκα, ἐκέλευσε τῶν φυτῶν ἐπιμελεῖσθαι. Legunt tamen MSS. Codices aliter, quod monebat vir Excellentissimus Dominus *Joh. Andr. Bosius*, Patronus & Præceptor noster parentis ad instar, aut siquid ulterius est pietatis, devenerandus, siquidem pro παντοίῳ τεθηλότι φυτῷ optimus Codex Cæsareus habet παντοίων τεθηλότα φυτῶν. Sed dubitat laudatus vir, an satis Græcē. Regius Parisiensis: παντοίῳ τεθηλότα φυτῷ, quod rectum putat. Atque sic & vetus Interpres: *Omni germinatione florentem.* Mox ex iisdem Codicibus legit, adsentiente itidem veteri Interprete: Εισαγαγόντα τότε Ἀδαμον καὶ τὴν γυναῖκα, κελεῦσαι τῶν φυτῶν ἐπιμελεῖσθαι. Refert enim hæc, ut quæ præcesserē, verbis & è sententia Moysis. Communiter verti solet ita: *Ait autem* (Moses) *Deum plantasse hortum ad orientem omni planta virente. In hunc hortum induxit Deus Adamum & uxorem, & jussit plantarum curam gerere.* Parum igitur verecundi essemus, si aut cum *Rudolpho Otreb* (ita nomine per metathesin literarum ficto